

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8445

Auteur(s) : Rotrou IV, Perche (comte)

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1189

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Charte de Rotrou IV, comte du Perche, qui confirme la fondation de Rotrou III, son père, et les donations de plusieurs seigneurs et autres, ses sujets.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, Appendix, n° IV, p. 587-590.

Texte établi d'après a

Universis Beatae Matris Ecclesiæ filiis præsentibus et futuris, ROTRODUS, Perticensium Comes et Dominus, in Domino salutem.

Quisquis pro Dei amore, et spe retributionis aeternæ, aliquid indigentibus amministrat in præsenti sæculo, ipsi, sibi procul dubio thesaurisat in futuro.

Hac spe ductus, bonæ memoriæ pater meus Domum Dei quæ dicitur Trapa dilexit, et in omnibus ut propriam protexit et manu tenuit. Consequenter igitur, eadem intentione, ego ROTRODUS eandem Abbatiam, et omnes terras ejus, et redditus, et possessiones quas Monachi possident ex donatione mea, sive hominum meorum, suscepit in manu mea, et custodia, et protectione, quas etiam propriis in præsenti scripto duxi exprimendas, et posteriorum memoriae commendandas.

In primis videlicet ex dono meo medietariam de Laigneo, et vineam de Piro lato, et sex libras de redditibus meis apud Mauritiam, ad festum Sancti Remigii persolvendas.

Ex dono Hugonis de Campis, medietariam quam habent in eadem Villa, et calfigium in Freteio, in quantum ad ipsum Hugonem pertinebat. Si duæ fossæ carbonariæ in ipso Freteio fuerint, unam semper prædicti Monachi habebunt, et alteram Monachi Blesenses: si una, dimidium isti, et dimidium illi.

Ex dono Girardi de Asperis, partem boschi juxta Freteum.

Ex dono prædicti Hugonis de Campis, boscum quod est juxta stagna Monachorum, sicut metæ discernunt.

Ex dono Pagani de Buat, et Hugonis, filii ejus, partem gastinæ juxta Grangiam Abbatiae, et nemus, sicut metæ discernunt, et pasnagium in bosco de Buat.

Ex dono Gervasii de Buat, et Hugonis, filii ejus, et filiarum ejusdem Gervasii, terram de Sollat, sicut metæ discernunt.

Ex dono Dominorum Pertici, Vallem Hermerii, cum carrucata terræ et pratis ad eundem locum pertinentibus.

Ex dono Gervasii Capreoli, partem suam de pratis de Mareschon, et dimidium modium siliginis apud Mesnil Capreoli, ad festum Sancti Remigii annuatim persolvendum.

Ex dono Willelmo de Pinu, et Gauleranni, filii ejus, dimidium modium annonæ in molendino ejusdem Villæ.

Ex dono Willelmi de Bubertre, et Roberti, filii ejus, tres sextarios annonæ in molendino de Montgiun, et quinque alnas de Burel.

Ex dono Simonis Viarii, unum pratum juxta molendinum Capellæ de Monteliggunt, et quartam partem molturæ molendini de Montgiun.

Ex dono Roberti de Ferreriis, et Radulfi, filii ejus, unum sextarium frumenti, alium siliginis, et tertium avenæ in medietaria de Raderei.

Ex dono Hugonis, sacerdotis de Basoches, et Gaufridi, fratris ejus, quamdam decimam quam habebant in feudo.

Ex dono Garini Burnel, et Girardi, filii ejus, quemdam campum terræ apud Buat, et tertiam partem decimæ quæ eis contingebat de feudo suo.

Ex dono Gisleberti de Lefenegio, decimam quam tenebat in feodo apud Siccumroure, assensu domini sui Roberti de Falandres.

Ex dono Galteri de Bresnart, decimam de suis Rotiz, in parrochia de Siccoroure.

Ex dono heredium de Frex, quamdam decimam apud Mesnil Capreolum, concedente Amarrico Capreolo.

Ex dono Roberti de Haia, unum campum apud Buat.

Ex dono Girardi Hobe, quemdam campum terræ apud Buat.

Ex dono Hugonis de Cortgaudre, et Hugonis, filii ejus, unum sextarium frumenti, et alium siliginis, in medietaria sua de Linerol.

Ex dono Pagani de Loysel, unum sextarium annonæ in molendino de Loyseel.

Ex dono Radulfi Viarii, unum arpementum prati, super Erinam.

Ex dono Hugonis Britonis, unum arpementum prati, super Erinam.

Ex dono Gervasii de Villa expansa, unum arpementum prati super Erinam.

Ex dono Radulfi de Pertico, et Radulfi, filii ejus, unum arpementum prati, apud Vallem Frex.

Ex dono Mathæi de Herauderia, quamdam partem prati, juxta prædictum pratum.

Ex dono Roberti de Mesneria, unum arpementum prati, super ductum du Coreis.

Ex dono Hugonis de Soligneio, et Willelmi, filii ejus, duo arpenta et dimidium prati.

Ex dono Johannis de Vilers, unum arpementum prati, apud Lumpont.

Ex dono Willelmi de Mauritania, unum sextarium annonæ in molendino Calloï, reddendum in medio quadragesimæ.

Has omnes præfatas donationes fecerunt præfati homines liberas et quietas ab omni genere redditus et servitii, et eas in puram et perpetuam elemosinam Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Trapa contulerunt.

Dedit etiam præfata Ecclesiæ Monachis Gervasius de Chirai, et Girardus, filius ejus, terram de Mareschun, et prata, a rivo scilicet, usque ad nemus Senescalli, et a semita de Mareschun, usque ad masuras villanorum suorum, concedente domino suo Willelmo de Mesneria et inde accepit in charitate quinquaginta libras. Hanc donationem fecerunt liberam et quietam ab omni genere redditus et servitii, excepto quod inde reddent Monachi decem solidos annuatim ad festum Sancti Johannis, et per hunc redditum quieti erunt ab omni alia exactione.

Item Odo Trocha dedit eisdem Monachis totam terram quam habebat in parrochia de Tesval, et inde accepit in charitate sexdecim libras. Hanc donationem fecit ipse Odo liberam et quietam ab omni servitio et redditu, excepto quod inde reddent Monachi in Pascha sex solidos, et per hunc redditum quieti erunt ab omni alio redditu et servitio. Hoc ipsum concessit Paganus de Semarzeis, dominus ejus, et exinde habuit centum solidos.

Item dedit Willelmus Surdus juxta prædictam terram unum campum terræ, et inde habuit in charitate viginti quatuor solidos, et per annum ad festum Sancti Remigii sex denarios pro omnimoda aquietatione ejusdem terræ, et Guillelmus Legoe, dominus ejus pro concessione sua sex solidos.

Item Robertus de Noisement, et uxor ejus, dederunt, unum campum juxta prædictam terram, et inde acceperunt in charitate triginta solidos.

Item Paganus de Maureguart, et heredes ejus, dederunt quasdam terras apud Laignei et Maureguart, sicut metæ quæ ibi positæ sunt demonstrant, et inde acceperunt in charitate viginti duas libras, et de concessione sua feodum cuiusdam vavassoris sui, nomine Roberti de Brulon, qui pro eo accepit in charitate quatuor libras.

Tustinus autem, filius Pagani, habebit annuatim pro omnimoda quietatione redditus et servitii, sex denarios de feudo illo, ad festum Sancti Remigii.

Item Odo de Belavilers et Richeldis, uxor ejus, dederunt dimidium terræ nemoris Francorum, et inde accepit prædictus Odo equum unum pro omnimoda quietatione et servitio.

Ex dono Huberti Capreoli quartam partem alterius medietatis prædictæ terræ.

Igitur, ne super his elemosinis aliqua inter posteros controversia oriatur, præsens scriptum sigilli mei munio
authoritate. Testes sunt Guillelmus, clericus de Loseel, Hignardus de Bellog, Garinus de Vilers, Joannes de Pice,
Gaufridus Tronel, Robertus de Broch, Robertus de Nesement, et multi alii.
Actum est hoc publice apud Manves, anno ab Incarnatione Domini MCLXXXIX. Datum per manum Adæ de
Loseel.